



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciones Sive Conceptvs Theologici, De Praecipvis Omnivm Sanctorum Festiuitatibus, ab omnium Sanctorum Festo ad Pascha vsque occurentibus

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1614

In festo Purificationis B. Virg. De humilitate agitur primum in genere,
deinde particulatim in Euangelij explicatione de Christi & Mariæ
submißione, & à peccatis immunitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54700)

cidum fidus, quod mundi huius mari imperas, in navigatione hac mea velut cynosura, & nauicula mea sub tuo semper horoscopo hoc in æquore nauigauit, quæ cum modo tam feliciter portum ingrediatur, æquum est, vt tibi etiam ex voto gratias agam, post Deum vt te honorem, laudem, celebrẽ, decantem, milleq; tibi nominib. maneam deuinctus. O Virgo concionantium Dux, Doctorum tutela, Philosophorum magistra, laudum mearum sacrificium benigno hodie vultu accipe, tuisq; feruentibus precib. mihi impetra, vt cum totum hoc opus ad illius, cuius tu mater es, gloriam tendat, ipse auctor omni vana gloria exclusa, & agnoscens omnia cælo descendere, sui ipsius quoq; salutem operetur, non vero damnationem incurrat, *ne cum alijs*, iuxta Apostolum, *predicauerit, ipse reprobus efficiatur*. Nunquam hocce mihi quæso accidat infortunium, sed eam quam alios docui viam insistam, viam sc. quæ ad æternam beatitudinem conducit, cuius nos qui omnia nutu suo temperat, & in sæcula sæculorum viuuit, Deus, compotes reddat.

IN FESTO PURIFICATIO-
NIS B. MARIE VIR-
ginis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae. Luc. 2.

FIGVRA.

CVM Anna, Mater illa Samuelis, quæ de numero illustrium veteris Testamenti matronarum fuit, prius sterilis, filium diuinitus impetrasset; obtulit illum Domino, vt seruiret ei in ministerio templi omnibus diebus vitæ suæ; simulque cum oblatione filij, vitulum in gratiarum
actio-

actionem immolauit. Hodierna porro die videtur hic non Annam, sed Mariam matrem Iesu Christi templum ingredientem; quæ concepto præteritæ turæ ordinem filio, eundem hodie in templum offert, Patri æterno oblatura, atq; vna cum oblatione prolis, par turturum vti lex præscribat, offerit in sacrificium. Hoc est mysterium, quod totus hodie terrarum orbis demiratur, in eo namque lætæ cantant, viduæ prophetizant, luminaria resplendent, & cuncta vndequaq; musica & cantu perstruunt. Quare age, anima, vt rem tam admirabilem pro dignitate dicendo explicare queas, accede ad lucidam illam lampadem, recurre ad splendidum illum mundi solem, qui quidquid est radijs, illustrat, & cuius splendore omnia coruscant. At fortassis magnitudo illa luminis & splendoreciem tibi oculorum præstinguat, ac quandam veluti caliginem solares illi radij visui superinducunt, ad Lunam potius properandum est, & prius Maria salutanda, cui cum Angelo dicamus.

A V E M A R I A.

3 Esdr. 3
Contentio inter tres Persicos optimates.

Fuit olim non modica inter tres Persicos purpuratos in atrio Darij Regis contentio, quidnam omnibus quæ in mundo existunt, videretur esse fortissimum. Primus esse dixit vinum, quod summo æque atq; infimos, diuites simul & pauperes sibi subijciat. cui refragatus secundus asseruit, omnium fortissimū esse Regem, qui quidquid est, vi armorum potentiaq; concutiat & percellat; cuius verba instar legum habenda sint; cuius voluntas decretum; & cuius vel minimus nutus, præceptum. Tertius verò, qui Zorobabel fuisse perhibetur, dixit esse mulierem; at fortiorem his omnibus vnicam esse veritatē: quippe qua nihil in mundo aut
fortius

fortius aut potentius inueniri queat; *super omnia autem vincit veritas*. Verum vestra mihi venia, viri Perse, liceat in hunc disputationis campum ingredi; finite me meum quoq; symbolum in medium proferre. nondum, mihi credite, vestrum aliquis scopum tetigit, nemo veritatem adhuc reperit. Equidem fortissimam omnium esse dixerim humilitatem. Illa, illa namq; est, quæ Reges potentissimos edomat, diabolos coërcet, de Angelis triumphat, Deo arma è manibus eripit, eumq; superat, ac denique mori cogit.

Humilitas omnium fortissima.

An non Benadad ad Regis Syriæ nuntij, vili sacco & cilicio induti, Achab Regem, humilitate flexerunt, quæ armis superare nequuerant; & eum qui nihil nisi sanguinè, mortem & exitium præ furore & rabie spirabat, an non hac agendi ratione mansuetum reddiderunt? Dauid in corde contrito in terram prostratus, Angelum, qui ferro & gladio in populū crudelissime sæuiebat, exanimauit. Iob sedens in fimeto, seseq; deiiciens, satanam insultantem deuicit & prostrauit. Impius Rex Achab sese coram Domino humilians, eidem multa mala interminati, arma violenter quodammodo è manibus eripuit. An non & te, ô Deus meus! eadem illa humilitas mori coëgit, de quo scribitur! *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem*. O vere admiranda tropæa! Nihil est ô humilitas, q̄ cum tua fortitudine aut potentia queat cōparari. Quæ admodum n. ipsum zero, aut nullo, quod vocant, Arithmeticoꝝ, ex se nullum prorsus constituit numerum, at alijs numeris appositū eos facit denos, videnos, centenos, imo & millenos. Ita quoq; & ipsa ex te quidē nihil es, instar zero; verum vbi te operib. nostris semel accedere contigerit, mox ijs pondus & pretium incomparabile addis. hinc
ait

3. Reg. 20.

2. Reg. 24.

3. Reg. 21.

Philip. 2.

ait Apost. *Pondus humilitatis nostræ*. tu quippe eam præter naturam rectâ ad cælum subleuas, vitam æternam promereantur.

Iud. 19.

Non ineleganter sane crinibus Samsonis eam comparari possit humilitas; omnis fortitudo & robur inuicti illius ducis, si forte meminisset, qui Philisthæos expugnabat, in crinibus sita erant; quibus tamen nihil est in homine, aut vili⁹ aut imbecillius. Ita quoque omnis animæ nostræ potentia & virtus, qua dæmones expugnamus, & sternimus in sola humilitate sita est, cum nihil tamen in mundo aut contemptum æque aut abiectum.

Reg. 17.

Davit adolescens, armis & lorica regia grauatus potius quam indutus, ingentem illam molem, spiritum illum gigantem non potuit expugnare, & Saul gener fieri; verum inermis penitus in aciem procedens, sola funda & lapidibus armatus, pastoris amictus habitu, & Goliath superauit, & gener Regis factus est. Fuit hoc, Auditores, fuit inigne humilitatis præfagium, præfagium inquam, è quo liquido appareat, nos armis & insignibus mundanis indutos, superbia scilicet vanitate, & ambitione infernales illos gigantes minimè vel expugnare, vel expugnare, aut etiam filios Dei fieri posse, verum humilitatis armis circumdatos, primumque facile nulloque negotio consecuturos.

O sancta & diuina humilitas! èt sublimius multo te efferâ, & maiori te etiâ præconio celebrabote namque sentiunt fulmina, ignes, tēpestates & tonitrua. Etenim *feriunt* vt plurimū, sicuti olim cecinit Horatius, *summos fulmina montes, Et celsæ grauior casu decidunt turres;* valles autem camporumque planities intacta relinquuntur. Ad eundem plane modum, diuinorum iudiciorum fulmina, sublimia illa superborum capita (qui mundi huius mōtes fastigiisque

vere

vere nominari possunt) frequentissime feriunt, humiles autē & dimisse de seipsis sentientes, intactos prætereunt. Atq; hoc ipsum est, quod insignis ille Philosophus Æsopus olim petenti, quid super æthereos orbis Iupiter ageret, respondit, *Excelsa, inquit, humiliat, & extollit humilia*. Haussisti id forsitan sacris è libris Æsopæ, in quibus scriptum legimus. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Item: Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Et alio loco: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*.

Præclarā
veteris
Philosophi
apophth.
Luc. 1.
Psal. 117.
Iacob. 4.

Succinum, rerum naturalium scriptores, omnia festucarum genera ad se attrahere perhibēt, excepto Basilico, herba sc. quæ Capitalis vulgo nominatur, quæ caput & cerebrum fumosis exhalationibus opplere consuevit. Succinum dicere poterimus Deum, nos ipsos vero festucas: trahit nos quidem supernaturale illud succinum ad se, suaq; dona, virtutes thesaurosq; gratiarum omnib. communicat, ac veluti prodigit; non tamen superbis, qui sunt instar Basilici huius, quiq; caput inanibus ambitionis, prauorum affectuum, vanitatum inanumq; desideriorum fumis oppletum habent.

Mira succini naturalia.
Scalig. exerc. 140.
num. 12.

Narrat Onuphrius vet⁹ ille Anachoretæ parabolam, quæ huic rei optime visa est quadrare: Arbores sc, olim de feritate hominum, quotidie sese amputantium, & ne altius excrescerent impeditiū, exostulantes, concilium inter se coëgisse, quo ratio aliqua statueretur, qua huic malo remediū adhiberi, atq; huic feritati, occurri in tēpore opportuneq; posset. Cum iam omnium sententiæ rogarentur, & quid quæq; faciēdum decreuisset, exquireretur, ecce tibi aliquam è sublime nutantibus cedris Libani, velut cæteris eminentiorē assurgere, communiq; omniū voce demonstrare, nullum

Parabola
veteris anachoretæ.

ad

ad hominum feritatem impediendam, & res in tuto collocandas, præstantius remediū excogitari aut suggeri posse, quam si arbores omnes communi voluntate ligna denegarent, è quib. manubria securiū edolentur: cum enim illæ manubria caruerint arbores, ab hominib. nō amplius amputandas. Audita est hæc cū silētio & stupore vniuersarum: illis a. ob tam inexpectatū consiliū in admirationem raptis, ecce tibi ex angulo adreptum exiguum quendam rubū, qui in locis humilibus dumosifq; succreuerat, quiq; silentium indicentē audiri postulabat: Ne pergite, inquit, vltērius officij; neq; enim tam è re nostra hoc cedi consilium quam fortasse arbitramini. nam ab hominib. eodem securæ esse poterimus, securib. manubrio uero carentibus: at à fulmine tutæ quomodo erunt. Non est mihi credite, melior aut præstantior ad libertatē nostram obtinendā, nos ipsas ab hominum violentia defendendas, homines simul & cæcilioludendum ratio, quā non adeo sublime crecendū caput efferre, at per terram potius serpere. Dignum plane consilium, quod animabus nostris optime conueniat. ipsæ namq; sunt plantæ, plantæ in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri: dæmones eas amputant & scindunt, nec non omni ratione destruunt & euellunt. Ad hanc itaq; rabiē, ad hanc feritatē immanitatemq; superandam vnicui profecto consilium est, non adeo sublime excrescere, aut sese superbiēdo efferre, at humilia potius vniuersi sectari. Videlicet hoc ipsum est, quod in Euangelio toties Dominus consulit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Discite à me, vt explicat August. non mundos è nihilo creare, non mortuos ad vitam reuocare, non miracula patrare, sed humilitatem toto animo amplecti.

Psal. 133.

*Matth. II.
Aug. ser. 10.
de verb.
Dom.*

Idec

Ideo autem humile hoc & exiguum de humili-
tate loquens fundamētum posui, quod hodiernæ
diei Euangeliū nihil nisi humilitatē spiret: vide-
bitis namq; hic duo insignia humilitatis exempla,
qualia, audacter dixerō, in mundo vix vnquā visa
aut audita, vnum in matre, & alterum in filio. Ma-
ter ipsa purior, mundior, imo perfectior angelis,
sefe legi Purificationis, ac si de numero immunda-
rum fuisset, subijcit. O admirabilem humilitatē!
filius autem legislator, & conditor, lege omni su-
perior, legem seruat, finit se offerri, & vt mancipiū
diuendi. O duplicem humilitatem! *Postquam im-* Luc. 2.
pleti sunt dies Purgationis Mariæ. Primo vero de hu-
militate matris, ac deinde filij eius Iesu Christi ver-
ba faciemus.

Quod ad primum quidem spectat: Contemplor
hic in limine Euangelij, Virginem expleto quadra-
ginta dierum tempore, quos in stabulo Berhleemi-
tico permanserat, templum Ierolymis intran-
tem, dilectum filium *speciosum forma præ filiis homi-* Psal. 44.
num, vlnis gestantem, quo eundem Deo præsentar-
ret, & sacrificium simul ad purificationē offerret.
Memineritis oportet, Auditores, inter cæteras le-
ges cæremoniales Iudæorū, & legem fuisse de fœ-
minis, quæ peperissent; vt nimirū ea quæ mascu-
lum peperisset, septem diebus hominum consortio
abstineret; eo quippe tempore immunda habeba-
tur; & octauo deinde die circumcideretur infans,
ipsa vero triginta tribus dieb⁹ domo maneret in-
clusa, nec sanctuarium intraret donec implerētur
dies purificationis. Quo tempore euoluto, filium
ad templum portabat, ac sacrificium Deo pro se of-
ferebat. Lex exstat Leuitici 12. capite: *Mulier quæ* 3. Reg. 10.
suscepto semine peperit masculum.

Gloriosa igitur Virgo huic sefe legi vltro subij-
ciens,

De S. S. tom. 1.

n

ciens,

Figuræ,
quib. in-
troit9 Vir-
ginis in
templum
declara-
tur.

Prov. 31.

1. Reg. 8.

ciens, cum iam quadriginta è beato suo partu die
templo abstinuisset, hodierna die templum, hosti
pro purificatione sua oblatura, ingressa est. Hodi-
potens illa Regina Saba, de longinquis regionibus
veniens, post ompes Prophetas sc. post Patriachas
post Reges Iuda, intrauit palatium Salomonis, om-
ni diuitiarum & aromatum genere onusta filia
quidem *multa congregauerunt sibi diuitias*, at tu regi-
narum filia, ac filiarum regina, deferens pretiosam
illam margaritam Euangelicam, redemptorem sc.
mundi Iesum Christum, *supergressa es vniersis*. Hodi-
die scilicet splendida illa Luna, quæ quadraginta
dierum spatio veluti eclipsi quadam laborans, in-
ter paleas, in stabulo, ad præsepe Bethleemicum,
obscura delituerat, completam sese iam & perfe-
ctam in medio templi demonstrauit. Hodie Ar-
ca illa fœderis, quæ tanto tempore in castris sub
tentorijs & papillionibus inter Philisthæos habi-
tauerat in tugurio inquam & stabulo, interq; ani-
malia ad templum Salomonis delata est & super a-
las Cherubim collocata.

Agite nunc animæ, animæ inq; sanctæ, comite-
mini Virginem ad templi properatam, pijs deu-
tionis passibus eam stipantes, Videte obsecro, quæ
ta humilitate, quantaq; paupertate filium, suum
simul cõditorem vlnis gesserit: considerate, in quâ
attentius & ad incomparabilem illam animi sub-
missionem, voluntariamq; illam purificationem
delixi obstupescite. Non aliter legi se subijcit, ac si
de numero immundarum foret, quæ nullam tæ-
men ex partu maculam contraxerat.

Quid agis, ô virgo, ô nimirum humilis virgo? quid
cogitas? tene hisce legibus subijci? tene feminis
peccatricib. commisceri? Michol quid è filia regis,
petulantia quadam muliebri, David regi indumē-
tis

tis regalibus exuto, ac plebi cōmisso, ante Arcam Domini saltitanti insultauit. at synagoga, subsannans nimirum illa Michol, lōge maiore cum ratione te exhibilare poterit, vbi te vestimentis regijs innocentia & iustitia indutā, ab alijs mulieribus non viderit discrepare, seruando scilicet purificationem & sacrificiū coram Arca fœderis, nempe humanitatem filij tui offerendo.

Tradunt auctores, ō virgo beatissima, Iuliā Augusti Cæsaris filiam, cum quodam tēpore admonita fuisset, vt saltū deponeret, superbiam exueret, ac fucum mundumq; muliebre eliminaret, patrem quippe intolerabilem illum ornatū diutius ferre nō posse, magna proteruia & arrogantia respondisse: Pater nō amplius meminit se Cæsarem esse, cuius nutū totus orbis veneratur: at ego memini me Cæsaris filiā, ac proinde primā omnium, quæ in mundo sunt reginarum: quare æquum est vt quæ sim exterius quoq; demonstrarem. At tu, virgo beatissima, infinitis partibus Iuliam hęc & nobilitate & dignitate antecellis; fuit illa quidem Cæsaris filia. tu vero mater & sponsa Dei,

Sueton. in August.

quæ diuūm incedis regina, Deiq;

Et soror & coniux.

Virg. i. Æn.

Atq; hęc cum ita sint, filius tamen tuus se circumcissioni vt peccator, & tu te purificationi, vt peccatrix subijcis. Ille se Deum esse oblitus est, & tu te Dei matrem. Vere tibi, ō virgo, ait præclare D. Bernardus, non opus fuit purificatione, sed nunquid filio tuo circumcissione.

Nunquid, ō superbiens anima, ad tantæ submissionis intuitum erubescis? tu quæ nihil es, & merum nihil, te te effers, iactas, & cœlo caput conaris inferre: & ecce, Virgo hęc, quæ omnibus præcellit, demittit se, humiliat se, & vsque ad infimum se se demittit.

Psalm. 50.

deijcit? Tu quæ peccatis es immersa & quotidie clamas, *Et in peccatis concepit me mater mea*, superbis, & ecce, quæ sine vlla est macula, de qua torus orbis canit, *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te*, se vilissimam facit.

Obstupeo humilitatem tuã, ô vere beata, & milies beata Virgo, laudo & deprædico pietatem, sed offendit me non nihil isthæc tua purificatio. faciã hoc filiæ Adam, faciãt id mulieres immundæ, faciãt hoc fœminæ peccatrices: te vero Reginam Angelorum Matrem Dei, imo ipsam puritatẽ hocce facere, præter omnem rationem est. Nullo vnquam peccati næuo aut venialis, mortalis, etiam originalis, animam ô Virgo coïnquinasti: quid ergo tibi cum hac purificatione? Vixisti semper instar Salamandræ, inter flammæ peccatorum perpetuo versata & tamen absq; vstulatione vel minima ad quid igitur hæc purificatio? Fuiisti semper viridis sacra illa laurus, æterno dedicata numini, quæ nullo vnquam peccati fulgure vel minimum tacta est: ad quid igitur hæc purificatio? Fuiisti arca illa Noë, arca scilicet Iesu Christi, quæ super vndas diluuii originalis semper natitauit, nec vnquam in peccatorum oceano naufragium passa est: quid ergo necesse fuit purificari?

Quam bene de te, ô Virgo, dilectus tuus dixit, *sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias*; cum te lilijs semper candentibus, cæteras vero filias spinas pungētibus assimilat aperte demonstrat, cæteras creaturas rubos esse, quarum peccata spinarum instar pungant: te autẽ solam lilium esse quod instar niuis semper cãdet, iucundũ semper odorẽ spirat, in medio spinarũ illæsum manet: & quod, paucis vt dicam, in medio peccatorũ sine peccato perseverat. Insigne plane hoc est encomium. Quid igitur tibi purificatione opus est?

Stellæ

Figuræ q̄
declarent
Virginem
à peccatis
sẽper im-
munem
vixisse.

Stellæ & sidera, quæ in firmamento defixa sunt, nunq̄ elipsim patiuntur. Tu autē, ô Virgo, hocce es firmamentum virtutis diuinæ, de quo olim regius cecinit vates: *Laudate Dominū in sanctis eius, Laudate eum in firmamento virtutis eius: cuius virtutē & splendorem peccata nunq̄ obscurare potuerunt.* Ipsa n. olim aliquando dixisti: *Nondum erant abyssi, & ego iam cōcepta eram.* Per quas abyssos mortem, peccatum, damnationemq̄ æternam denotabas. Ante hæc omnia tu eras concepta, & tamen absq̄ macula, & peccati næuo cum sis, purificari postulas?

Quid vero ô Simeon, tu qui doctorū es sacerdos & doctor sacerdotum & legis: hodierna die Virginem hanc legi tuæ subijcis? Quomodo communē cæteris mulieribus sortem eam subire cogis? An ignoras lege hac Virginem nostram non comprehendi? loquitur illa de conceptione secundum cōmunem naturæ ordinem, & qua semper reliquæ mulieres concipere consueuerunt: at talis Virginis nostræ conceptio nō fuit: utpote quæ nec suscepto femine nec quæ commixtionem virilem, sed spiritu S. cooperante, mater facta est. Omnia namq̄ in illa præter naturæ ordinem, noua quadam ratione, mirabili & diuino quodam modo cōtigerunt. An non etiam meministi, ô sacerdos & Pontifex, figurarum, per quas Prophetæ illi tui nostrā hanc Virginem præfigurarunt? Equidem tibi eas, si fortitan effluxissent in memoriam reducam.

Præcepit olim Deus Moyfi, ut arcā de lignis incorruptibilibus fabricaret ac mūdissimō eam intus & foris auro circūuestiret. Hic, hic porro vides arcā è corpore & anima peccato corruptioniq̄ minime obnoxijis compactā, caritate circum vndiq̄ coopertam: & audebisne illam legi purificationis includere? Salomon thronū construxit eburneū,

Figura, qua demōstratur virginem immunem à peccatis fuisse. Exod. 25. 3. Reg. 10.

gr. ndē nimis, eumq; auro splendidiſſimo veſtibus
 cui, vt ſacræ literæ perhibent, nihil toto terrarum
 orbe ſimile vnquam extitit. aperi iam oculos tuos
 Simeon, & cōtemplare magnificum hunc thronum
 nō Regis Salomonis, ſed Regis Regū Ieſu Chriſti,
 nō aliunde q̄ ex ebore puritatis, virginitatis & in-
 nocētiae cōpactum: cui ſimile nihil orbis vnquam
 vidit: *Nec primā viſa eſt ſimilem, nec habere ſequentem.*
 interea tñ eam legibus & caremonijs tuis audeſ
 cōprehendere, Anne oblitus es magnū illum Ori-
 entis Monarcham Aſuerum, decreto quodam pu-
 blico, omnes virgines & puellas forma ſpectoſas
 per vniuerſas regni ſui prouincias cōquiri iuſſiſſe,
 atq; inter cæteras puellam Eſther, decorā facie, &
 pulchrā nimis, de ſtirpe Iſrael, à Mardocheo auni-
 culo diligētiffime educatā, ad Regē perductā fuiſſe,
 cui⁹ pulchritudo & venuſtas adeo Regi placuit, vt
 gratiā in eius cōſpectu inuēta, ab eo in vxorē ado-
 ptata fuerit, eiufq; capiti diadema regni impoſue-
 rit: inq; eius gratiā & Mardocheū à morte, & oēm
 populū Iudaicum ab internecione liberarit. Ecce
 tibi hic eam ipſam, Propheta ſanctiſſime, q̄ figura
 præſignauit; contemplare formoſam hanc Eſther,
 quæ intes oēs filias, quotquot à mundi primordio
 haectenus fuēre, ita oculis diuini illius, illius veri &
 æterni Aſueri, ſola complacuit, vt eam ipſam in
 ſponſam ac regiānam adoptarit. Erit, erit eadē illa,
 quæ hominem perditum, alterum ſcilicet Mardo-
 cheum & naturam humanam, id eſt, eius populū,
 ab interitu vindicabit: & tu ab illa ipſa o Simeon,
 purificationis debitum audeſ depoſcere?

Non eſt porro, Auditores, his ita rapi necceſſe, qn
 animos veſtros ad noua adhuc & maiora ēt audi-
 enda præparetis: iam n. alia, & nondū audita hu-
 militatis opera, quæ virgo noſtra præſtitit, decla-
 rabo

Eſth. 2.

rabo. Cum iam illa templū intrasset (quia lege decretum erat, vt ditiores agnum anniculū in sacrificiū offerrent, pauperes vero duos turtures, aut duos pullos columbarum) ipsa quæ paupertatis erat studiosissima, de pauperum numero sese reputans, duos turtures in sacrificium obtulit. Quid agis, ô Virgo? anne hoc sacrificium te dignum, dignū Filio, & dignum Deo? vbi iam thus illud est, vbi illa myrrha, vbi deniq; aurum illud, quod tibi ad præsepe Magi obtulerunt? Dedit ô Virgo, centum talenta Anaxarcho Philosopho Alexander Macedo, ob id solū quod Alexander esset, Hecatombas dijs obtulit Pythagoras, vnica tantū figura Mathematica inuenta. Salomon, vnus è maioribus tuis ipsa dedicationis templi festiuitate, immolauit Domino bouum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia: & tu in tam felici & festiuo omine, in oblatione, inquam, primogeniti tui, Mater Dei cū sis, par turturū offeres? ô rem nouā & inauditam! ô insigne miraculum! ô humilem inopiam! ô inopem humilitatem!

Vos porro turtures quid denotatis? nō ignoro Quid turtures à casta turture offerri debere: scio etiā a- turtures signi- gnos & bestias terræ, ab hominib. terrenis immo- ficēt quos- lari: at prolem cœlestem & diuinā animalia dece- Virgo ob- bant cœlestia, & huiusmodi ei quadrabāt tutures. tulit. Quin & alia nō mediocria mysteria denotatis au- Psal. 118, culæ: tu modo reuela oculos meos Domine, & conside- rabo mirabilia de lege tua. Quando enim vos ô casti turtures, à Virgine ad sui purificationem oblatos considero, statim mihi connexionē illam duarum in vna hypostasi naturarū, quas Virgo in vtero gestauit, vt in arbore crucis ac scelerū nostrorū expiationem, & totius mundi redemptionem offerrentur, in memoriā reuocatis. Quin & pulchræ il-

Luc. 13.

lius Rebecca, quæ geminos vno conclusit vtero

Num. 17.

memoriã refricatis: ac mihi statim in mentem re-
ducitis, hanc esse pauperem illam viduã, quæ duo-
bus obulis, hoc est duabus naturis in Gazophylaci-
um templi coniectis, magis laudata est, quam po-
tentes illæ fœminæ magnas opes thesaurosque offe-
rentes. Quin & amplius significatis etiam hic terrã
illam promissionis adesse, in qua tandem aliquan-
do præclarus ille & ingens redemptionis nostræ
botrus colligeretur, quẽ in vecte duo viri hoc est,
naturæ, humeris portauerunt: botrus inquam, qui
crucis postea torculari exprimendus immensũ pre-
tij nectar exsudabit. Ite vos nunc turtures, iã enim
multa satis mihi mysteria aperuistis: iam tempus
est, vt hinc vos auoletis, & ego me ad alterum con-
cionis membrum conuertam.

Lex anti-
qua de pri-
mogeniti

Altera quoque apud Iudæos lex erat, vt omne pri-
mogenitum Deo offerretur & cõsecraretur, cuius

Exod. 12.

legis verba Exodi 13. scripta reperiuntur, *Sanctifica
mibi omne primogenitum tam de hominibus quam de ve-
mentis, &c.* Inde porro lex certum habuit, quod scilicet

Ephes. 1.

Angelo vna nocte omnes Ægyptiorum primoge-
nitos percutiente, soli Hebræorum, diuino benedi-
cio immunes seruati sint. Itaque Christus mundi, vt
gallicè dicam, Delphinus, Mariæ & omnium crea-
turarum primogenitus, vt Paulus eum vocat, non
aliter huic sese legi voluit subijcere, quam mater
legi puerperarum: atque ideo eum mater hodie in
templum, Deo Patri eundem oblatura portauit.

Iesu bone, decus & princeps humilium, an non
satis est & plusquã satis est, te hominẽ nostri causa
factũ esse, in paupertate natum, in stabulo loco pa-
latij cõmoratum, in præsepi loco cœnopœi recti-
natũ, & ipsa animalia pro socijs & domesticis tuis
habuisse: denique in illa tua tenella ætatula humi
recubu-

re cubuisse, an non hoc inq̄ satis est? anne humilius hæcce tua humilitas humiliãda fuit? anne hæc adhuc oblatio faciẽda restabat? Anne hoc vnum tibi ad præceptũ adimplẽdum deerat? Peccantium est, seruorum est, mancipiorũ est, hisce collum legibus subijcere, non qualẽ te reuera confitemur, filij Dei.

O felix oblatio! ò ter & amplius beata præsetatio! *Gen. 12.*
 fume animos iã peccator. & tu, ò munde: ecce vohis hic victimã, quẽ olim in môte Caluariẽ immolanda est. Quantum, putatis fuit gaudiũ Isaac, cum gladio iam ceruicibus imminẽte, mörte iam vicina, arietem vidit inter vepres cornib. hærentẽ, qui in eius locum sacrificio subijceretur? At quantum nunc tuum gaudium fit oportet, ò peccator, cum sub sanguineo diuinæ iustitiæ gladio, capiti vitæq̄ tux minitante curuatus, prodeuntem hodie è vepribus humanitatis nostræ agnum sine macula vides, qui pro reo iuguletur & immoletur?

Num. 28.

Scitis Auditores, duo in lege veteri sacrificiorum genera fuisse, vnum matutinũ, vespertinum alterum, quod vtrumq̄ hic videtis offerri: matutinũ scilicet in oblatione pueri Iesu, alterum vero circa vitæ eius vesperã in ara crucis peragetur. O quantũ inter hæc sacrificia discrimẽ est, ò Virgo, quantaq̄ differentia! Hodie filiũ in medio templi cum gaudio, iubilo & cãticis offers: & ecce post triginta triũ annorum spacium in medio montis Caluariẽ, ærumnis, tormentis, opprobrijsq; saturatum, immolatum conspicias. Hic illũ vlnis iusti Simeonis stringi vides, tunc eum in laterib, crucis distentum & extentum videbis. Hic eum quinq; argenti siclis redimis, illic ipse quinq; vulneribus sanguinum riuos stillantib, totum mundũ redempturus est. Cuius quidẽ doloris hoc tibi loco senex hic initiũ dedit, dicens: *Tuam ipsius animã doloris gladius pertrans-*

Luc. 8.

*Suet. in Ne-
ron.*

ibit. Deus bone, quam crudeles hæ sunt minæ, quam tristia præfagia! hisce tu tamen ne mirum moueris: in quo te Agrippinæ Domitij Neroni matri non absimilem ausim dicere, quæ superba ut quæ maxime, & magnitudinis filij sui mirum quantum sitiens, cum oraculum consulisset, num aliquando filius imperium esset aditurus: eius oraculo Deus respondisset, regnaturum quidem, sed in Imperio matrem necaturum, tumore cæca, & audida diadematis, statim subiecit, *Occidat, modo imperet*, materno scilicet sanguine manus fœdentur, modo caput eius diademate cingatur. Ad eundem plane modum, cum oraculum illud Propheticum Simeon, tibi vaticinans, prænuntiat, filium tuum non Neronem illum sanguinolentum, sed mitissimum Iesum Christum, toto quidem terrarum orbe regnaturum, sed eius durante imperio, animam tuam doloris gladio (mille inquam vulneribus) transfigendam inclamare mihi, velut altera Agrippina videris, *Occidat, modo imperet*: mille ego gladiis transfodiar, mille mortis generibus vita mihi auferatur, modo Iesus filius, & Deus meus rex sit, saluator sit, denique totius orbis redemptor sit.

Ecce tibi Pater æternæ, hic oblationem, qualis tibi nunquam ab ullo hominū à tot retro sæculis oblata fuit. Contemplare hic victimam, in qua tibi bene complacuit, & ad quam totus terrarū orbis à tot annorum millib. anhelauit. Non videbis hic amplius dona Abeli, non oblationes Abraham, cuius hic iam fili⁹ primogenitus, filius, videlicet sanctissima Virginis, offertur: nō delectaris altaribus fumantibus, non holocaustis boū, nō immolatione taurorum aut ouium, atq; ideo nouum hic sacrificij genus, diuinum plane & omnino admirabile, cōtemplare, *oblationem & holocaustum pro peccato non possunt*

Psal. 30.

lasti: tunc dixi, Ecce venio. Nihil igitur coelo gratius nostra offerre potuit humilitas, aut nihil patri æterno desiderabilius.

Refertur in Euang. historia, quæ hac abs re non *Matth. 32.* erit admodum aliena. Herodes propter implacabile, quo in Christū ferebatur, odium, omnes pueros, qui erant in Iudæa, & omnibus terminis eius, occidit, vt hac misera infantium strage, innocentem simul Iesum inuolueret. Rex quoque ille æternus Deus, s. Pater, propter immensum, quo filium prosequabatur amorem, in veteri testamento omne sibi primogenitum præceperat offerri, vt inter tot primogenitorum oblationes, dilectus quoque filius semel offerendus accederet. Hodie igitur Pater æterne, sopientur ignes tui, tua hodie ira subsidet, hodie iudicia tua tandem finem accipient, paradisi hodie portæ referabuntur, hodie mund⁹ coram oculis Maiestatis tuæ gratiam inueniet, aquæ diluuij cessabunt, hodie incendia & maria rubra conquiescēt, hodie deniq; vincula captiuitatis nostræ dissoluentur, & omnes in libertatē vindicabimur, En tibi hic pignus quod offerimus, en tibi satisfactiōem nostram: paruulus hic pro toto mundo præstat vadimonium, hunc tibi hodie Virgo in redemptionē pro vniuerso mundo offert & donat.

Prudens illa Abigail, cognoscens Dauidē, in Na- *2. Reg. 15.* bal coniugē grauiter commotum, ad omnem eius substantiam perdendam cum omnibus suis copijs descendisse, illi obuiam processit, oblatiſq; cibarijs & cōmeatu, humanis eum verbis allocuta est, dicens: *suscipe benedictionē hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo,* qua re illa emolliuit iratum, adeo vt rex suipsius victor, & iracundiam cohibens, harum se iniuriarū memorem nunquā fore iurauerit. Pro dolor! Maior sane fuit ira magni illius Dauidis,

uidis, Patris sc. æterni, in stolidum illum & vecordem Nabal, hominem scilicet, & totum mortuum genus: quotidie namque iras suas iudiciaque sua, vindictas in eum de cœlo detonabat. At occurrit ei hodie Abigail nostra, offert ei panem Angelorum, offert ei proprium & vnigenitum filium: itaque eum demulcet, vt eum exarmarit veterumque iniuriarum immemorem penitus reddiderit.

Gen. 33.

Agrestis ille & barbarus Esau, cum quadringentis equitibus contra fratrem suum Iacob, ad iniuriam, quæ iam à viginti annis illi facta fuerat, vindicandam descendens statim ac faciem Rachelis puululum suum Ioseph ei monstrantis, & manu scalamariti sui Iacob offerentis conspexit, emolliuitur & cum fratre suo in gratiam redijt. Audeamus, Pater æternè, te barbaro Esau assimilare: Verisimilium quidè est, accitum te iustitia, stipatum supplicis, vallatum flagellis ad puniendum, aduersus mulierum Iacob, hominem scilicet descendisse, vt iniuriam quam tibi olim in paradiso deliciarum irrogauerat, hac ratione castigares: at conspecta hodie speciosa nostra Rachele, filium suum Iesum vna cum munusculis, id est, lachrymis, suspirijs, & penitentis miseris huius Iacob, i. hominis offerente, coactes arma deponere, eundem amplexari, gratiam elargiri, & quidquid prius in te commissum erat, magnanimi beniguitate remittere. Quântum igitur debes, ô anima Virgini, filiû hodie suum pro te Patri offerenti quid porro Patri æterno eum ad te redimendum offerenti in cruce? Exemplum est in Exodo, quod huic rei illustrandæ non parum facit: cum Deus Moïsem in via interficere decreuisset, quod præceptis Domini non vsque adeo prompte vt par erat, obsecutus esset: vxor eius Sephora his auditis, filiû suum confestim circumcidit, vt maritum morti eriperet, diuinamque

Exod. 4.

vltio-

ultionem auerteret: quib. peractis ait Moyſi, *Sponſus ſanguinum tu mihi es*: ac ſi dicere voluiſſet: Moyſes, ſi me diligere tenēris, quod tua ſim coniux, iam quidem multo magis, quod ad vitæ tuæ conſeruationem proprij filij mei ſanguinem effuderim. Age iam anima, hic cogitationes tuas deſigito, de his meditationem inſtitue: ſi Deo ſ. cultum exhibere teneris, atq; eum perfecte diligere, q̄ tuus ſit ſponſus, tuus Pater, tuus Deus, & creator tuus: multo quidem magis, quod ſanguinem vnigeniti filij ſui pro te effuderit, q̄ eum cruci ſupplicijs, morti deniq; ipſi ꝑ peccatis tuis ſubiecerit. Quis queſo tuus ille amor eſt, cui omnia hæc veluti pro meritis impendantur, quænam tuæ gratiæ? quænam merita?

Relictis porro, Auditores omnibus hiſce figuris videamus, qd̄ hodie in tēplo peractū ſit. Olim quidem Arca fœderis in templo collocata, ornamentis decorata, ac maiestate Domini & gloria repleta fuit: at hodie res longe ſublimior accidit. Infrante quoq; olim arca Domum Domini, omnia cantu & organis perſonabāt, atq; ipſa omni instrumentorū genere & hymnis in locū ſuum deducta eſt, at hodie præclara hæc Arca humanitatis Ieſu templum intrante, longe ſuauior & iucundior auditur concentus: nihil niſi prophetiæ, niſi laudes, & mirabilia vndequaq; audiuntur. An non videtis octoginta annorum viduam, honorem & obſequium nato Meſſiæ exhibentē! an non auditis veneranda canitiæ decorū Simeonem, redemptorem mundi vnus conſtringentē, iubilo & canticis exultātem interq; lacrymas & gaudia diuinum illud canticum modulantem: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Ecce vobis nouum hic Athlantem, brachijs ſuis illum geſtantem, qui humeris potentiæ ſuæ vniuerſam terræ molem ſuſtentat.

2. Paral. 9.

3. Reg. 9.

Luc. 2.

tentat. Ecce vobis hic cygnus iucundo carnis
mortem suam prænuntiantem.

O quanto gaudio, quanta lætitia, quanta gaudi-
cunditate affectum magnum illum Patriarcham
Jacob, iam grandævum putatis, ubi filium suum
Ioseph, quem velut mortuum diu eluxerat vivere,
& dominari in tota terra Ægypti intellexit: tanto
quidem gaudio dicitur delibutus, ut super collum
eius irruens, & plenis vlnis stringens, dixerit cum
lachrymis: *Iam letus moriar, quia vidi faciem tuam, &
superstitem te relinquo.* Quid faciet igitur venerabi-
lis hic Simeon, vlnis eum amplexans, cuius nomen
omnis terrarum orbis pertimescit? qui in hæc tan-
dem verba prorupit: Venisti tandem o captivorum
redemptor, peccatorum saluator, mortuorum vi-
ta salus & iubilus totius mundi. hæcenus in erum-
nis vitam egi, & amaritudine deduxi canos meos
expectans semper & sperans, vehementer pro re-
demptione Israel sollicitus, nunc vero dimittis
seruum tuum iam sollicitudine mea liberatus, læ-
tus iam & consolatione repletus, dies meos finiri
cupio iam dissolui vinculis mortalitatis huius, ut
tam iucundi, tamq̃ expectati apud inferos nuntius
baiulus esse queam. Nunc igitur dimitte seruum
tuum Domine.

Fateor, bone Iesu, fateor, cœlum & terram, pur-
gatorium & limbum, totum deniq̃ orbem in ad-
uentu tuo exultare: at vero iam multo magis in
hac oblatione, qua æterno Patri oblatus es, exul-
tabunt. è qua prælagire licet, te pro mundi redem-
ptione in arbore crucis aliquando offerendum: in
qua Patri nos tuo reconciliabis: in qua pro peccatis
nostris satisfacies, ubi lytrum pro tota humana
natura persolues. Sanguis tuus pretiosus erit au-
rum, Caluarie mons, locus rationum, in quo hoc
ce pre-

ce pretium perfoluetur. Nunc igitur, dimittis seruos tuos in pace, ô lux hominum: iam læti morimur, certi nimirum, Portas cœli, quæ hætenus clausæ fuere, patentés iam nobis & apertas fore, vt gloria cœlesti vna cum gloriosissima Virgine matre tua perfruamur, cuius nos compotes reddant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS DEIPARÆ VIRGINIS Mariæ.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilee.
Luc. 1.

FIGVRA.

CVm Abraham Patriarcha seruum in Mesopotamiam ad quærendam filio vxorem mittere destinasset, eum potissimum ad huius legationis functionē, qui cæteris & ætate & rerū gerendarum peritia antecedere videbatur, selegit, vt tanto plus ponderis, auctoritatēq; ipsa legatio haberet. Hanc porro figurā hodierna die completā cernere est, vido hic namq; à Patre æterno, Angelorū primū & præ cæteris perfectissimū, in mundum destinari, vt gloriosissimam Virginem Mariam honorificis verbis salutet; eamq; in sponsam ac matrem vni-
geniti filij eligat, & adoptet. O vere diuinam & eximiam legationem, cui similis nulla vnquā in mundo extitisse visa est! Iam s. dies illa advenit, ô Virgo, qua infelicis Eue delictum, & errorē refarcies; quā mundo perduto salutem affers, quā Dei mater effici-
eris. O felix nuntium! ô lætam ter & amplius legationē! hodie quoq; ô mater gloriosissima, ac genitrix Creatoris eminentissima, ad tuas laudes de-
prædicandas, mysterijq; huius magnitudinē decla-
randam